



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

578. An, & qualiter pensionarius habeat actionem personalem contra Titualrem, ejusque successorem, eamque exercere valeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

tius aliquis interea pensionem exigit, & sic applicari nequit controversia super quasi possessione pensionis, quod unus possideat naturaliter tantum, & alter civiliter tantum; cum, licet pensionarius in hoc casu denegata solutionis possideat tantum civiliter, titularis tamen non potest possidere naturaliter, quia pensio est quaedam servitus, res autem sua nemini serviat. Lott. à cit. n. 216. citans Rotam in Aquiligen. pens. 21. Maij 1610. & in Bonon. pens. quæ est 404. n. 7. p. 2. recent. &c.

De potestate Pensionarii, & modo exigendi pensionem.

Quaestio 478. An, & qualiter pensionarius habeat actionem personalem contra titularem eiusque successorem, eamque exercere valeat?

1. **R**espondeo prater ea, quæ sparsim in antecessoribus, maximè in quaestione illa, qualiter titularis teneatur solvere pensiones decursas tempore antecessoris sui. Ad primum: Habere illum actionem personalem tam contra titularem, qui primò expressè consensit, quam eius in eodem beneficio successoris, & tam ex praestito illo cum amplissima obligatione in forma camera consensu à titulari pro se & successoribus suis, quem consensum necessariò supponit Papa, & sine quo litera provisionis non expeditur, quemque consensum successor acceptando beneficium cum omnibus oneribus suis tacitè quoque praestat ipse successor; ac pròinde, uti decretum illud Papæ reservantis pensionem afficit quoque successores, ita eos necessariò huic actioni personali subijcit, agiturque contra eum optimè hac actione, qui ipse quoque acceptando tale beneficium gravatum, pensioni à se solvenda consensit. Lott. l. 1. q. 39. à n. 38. Card. de Luc. de pens. d. 26. n. 2. Gonz. gl. 5. §. 5. n. 46. Ventrigl. to. 2. annot. 11. §. 2. n. 36. Neque locus jam est excusationi ex capite ignorantia; cum teneatur successor hæc omnia scire, & paria sint vel scire, vel scire debere, aut de facili scire posse Lott. loc. cit. n. 43. & ex eo Ventrigl. loc. cit.

2. Respondeo ad secundum primò: Actio hæc, ut utiliter intentari possit contra aliquem, ex parte illius, ante omnia requirit, ut qui reservationi pensionis consenserit, utpote in quo consensu fundatur dicta actio personalis, ut dictum. Lott. n. 48. Unde etiam si contra intrusum percipientem fructus, item contra omnes eos, qui tempore vacantis beneficii perceperunt fructus, intentari valeat actio realis, non tamen personalis, quia ex eo, quòd ipsum verum titulum beneficii illius gravati non habeant, non possunt dici consensisse reservationi pensionis.

3. Respondeo ad secundum secundò: Cum tam consensus titularis ac successorum, quam consensus Papæ habeat respectum ad fructus (unde ista actio est quidem personalis, sed in rem scripta. Lott. n. 47. citans Menoch. de recuperand. poss. remed. 5. n. 76.) pro exercitio hujus actionis, seu ut ea utiliter institui possit contra aliquem, prater consensum illius requiritur insuper, ut is fructus percipiat, ita ut, si fructus nullos percipiat, in vanum ostendatur illum habere validum titulum; Lott. loc. cit. n. 48. Ventrigl. loc. cit. Unde jam, cum movetur hæc personalis actio contra titularem, qui

pensionem consensit (intellige, ubi in reservatione non fuerunt adhibitæ cautelæ illæ seu clausulæ: *habita vel non habita possessione, &c.*) pensionarius justificare debet prater consensum titularis perceptionem etiam fructuum. Lott. loc. cit. nu. 63. quòd ipsum tamen factum facillimum est, probando nimirum, titulari fuisse adeptum possessionem beneficii, cum exinde exfurgat juris præsumptio, quòd fructus perceperit, quæ eatenus prævalebit, donec elidatur per reum apertè doctentem vel de impedimentis, quòd minùs ipse fructus percipere potuerit, vel de perceptione illorum ab alio facta. Lott. *ibid.* Quin & si actio hæc personalis dirigatur contra successorem in beneficio, satis non est, ostendere, illum esse verum successorem, sed insuper necesse est probare, hunc quoque succedere in possessione, & sic præsumptivè etiam in perceptione fructuum. Lott. n. 64. Et sic hæc actio non eliditur quàm per probationem contrariam, quòd fructus percepti non sint. Lott. n. 65. circa quam exceptionem & casus varios non perceptorum fructuum vide dicta fusè supra, ubi quaesitum, an in eo casu solvere teneatur titularis. Unde jam patet, eum, qui nec juris, nec possessionis successor est, etiam si consenserit pensioni & fidejussores constituerit (in eo nimirum casu, dum id fecit spe provisionis in favorem sui faciendæ, & tamen illud beneficium assecutus non fuit, sed alius de eo provisos) etiam si in camerali etiam obligatione se obligasset; quin etiam, si in literis reservationis adesset illa clausula: *habita vel non habita possessione*: non teneri ad solutionem, seu non dari contra eum actionem realem; eò quòd hæc omnia ab illo facta intelligantur sub illa conditione, quatenus is, qui se obligat, beneficio, cujus intuitu facta obligatio, frui possit. Tond. qq. benef. p. 2. c. 1. §. 4. n. 61. citans Bursat. conf. 36. n. 33. l. 1. Gig. q. 47. n. 2. Pater quoque ex his, non subsistere, quòd tradit Corrad. l. 5. c. 7. n. 11. p. 2. benef. pensionarium posse convenire pro pensione, quem maluerit, sive possessorem, seu perceptorem fructuum, seu titulari, si sermo est de actione personali; quia autem hac actione convenire potest non possessorem fructuum, quia is caret titulo, adeòque deest consensus illius in pensionem; non titulari, quia is non est in possessione percipiendi fructus, seu fructus non percipit. Lott. cit. n. 48. juncto n. 49.

Quaestio 579. An, & qualiter pensionario competat quoque actio realis & hypothecaria?

1. **R**espondeo: Hanc actionem ei quoque competere. Lott. l. 1. q. 39. n. 38. Ventrigl. cit. §. 2. n. 34. Castrop. d. 1. p. 11. §. 6. n. 12. Azor p. 2. l. 8. c. 13. q. 1. citantes Gig. q. 51. à n. 17. contra Paul. Castrenf. conf. 338. vol. 1. Felin. in c. ad audientiam. de rescrip. Pensio enim imponitur super fructibus, quoties autem certæ rei onus imponitur, illa res censetur tacita hypotheca obligata pro illo onere juxta l. codicillis. §. instituto. ff. de Legar. Castrop. loc. cit. atque ita Papa in reservatione pensionis respicit fructus designando illos tanquam subiectum, quòd gravare intendit & afficere pro ipsa pensione per hæc ferè verba: *super fructibus, redditibus, emolumentis*: prolata autem illa dictio *super* ab eo, qui obligare potest, procul dubio importat hypothecam. Lott. loc. cit. n. 44. & 45. citans Gig. de pens. q. 42. n. 2. Roman. conf. 382. n. 1. & 2.

2. De